Quelle: http://manuscripta.at/?ID=5639
Copyright: Herzogenburg, Augustiner-Chorherrenstift



et pro propriis parentibus Et concludat et generaliter
pro omnibus fidelibus defunctis Hec tamen commendacio
abbreviari potest secundum quod brevitas temporis
requirit Et quando capitulum culparum alia hora
quam post primam celebratur tunc quidem adhuc
commendacio fiat sicut tempus patitur oracionis tamen
pro defunctis non repetantur sed a presidente sic conclu-
datur Quos vivos et defunctos commendo vobis
in oracionibus vestris et sic surgant Expedit
etiam interdum propter festivitates post capitulum
vel alia hora competenti facere collacionem seu
sermonem ad fratres pro devocione et spirituali feu-
ctu acquirendo iuxta ordinacionem prelati eis qui
ad hoc apti sunt deputantur

Se cavenda retractacione et revelacione gestorum
in capitulo et quid sit carere voce in capitulo
xxxi capitulum

De auditis et factis in capitulo
non fiat retractacio extra capitulum
unde contenciones vel offense
oriri possint et non audi-
encium edificacio neque aliquid ibi auditum
vel factum alapius alicui postea presu-
mat obicere quoquomodo Precipue caveatur
ne aliquis frater capitularis revelet perso-
nis non capitularibus vel a capitulo exclusis
culpas actus vel causas secretas in capitulo
tractatas Ceteris autem capitularibus